Sienkiewicz Petri: Fasciculus ex amoenissimo Hyacinthino viridario collectus —

FASCICULUS

Ex amœnissimo Hyacinthino Viridario Collectus,

ET INTER FESTIVAM

SANCTI HYACINTHI SOLENNITATEM,

Perillustri, & Admodum Reuerendo Domino,

D. HYACINTHO BRYSZKIEWIC,

Sacri, & Candidissimi Ordinis Præmonstratensis, Canonicorum Regularium Præposito Zwierzynecensi,

DOMINO, Ac BENEFACTORI AMPLISSIMO,

In argumentum debitæ venerationis, & Gratulatorij applausûs Apollinis Cytharâ



A


M. PETRO SIENKIEWIC,

In Alma Vniuersitate Cracouiensi, Philosophiæ Doctore & Professore, Scholæ Sanctorum Omnium Seniore,

DEDICATVS.

CRACOVIÆ,
Ex Officina ALBERTI GORECKI, S. R. M. Typogr.
Anno Domini 1687. Die 17. Augusti.

IN GENTILITIVM INSIGNE
Perillustris & Admodum Reuerendi
DOMINI.



Sed sine spinis.

Quòd ROSA BRYSCOVII, purâ niue purior albet;
Concolor est Domini moribus iste color.
Non sic Pæstanis nituit ROSA pulchra viretis,
Quàm Tua BRYSZKIEWIC pandit odore decus.
Siue ROSIS HYACINTHE Tuis vis seu HYACINTHIS,
Exornare caput, terna corona nitet.

IOANNES CYRVS, *Alumnus Scholæ Grammatices.*

PERILLVSTRI, ET ADMODVM REVERENDO DOMINO,

D. HYACINTHO BRYSZKIEWIC,

Sacri, & Candidiſsimi Ordinis Præmonſtratenſis, Canonico Regulari, Præpoſito Zwierzynecenſi, &c.

DOMINO, & PATRONO AMPLISSIMO.



D Vernantiſſimum Roſarum Tuarum delicium, dilectus Tibi quia ex amœniſſimo Diui HYACINTHI *Viridario collectus, ſuaui virtutum odore vernans faſciculus venit.* PERILLVSTRIS & ADMODVM REVERENDE DOMINE. *Amœnus quippè omnibus, ſed præcipuè Tibi à prima adoleſcentiæ Tuæ purpura, non in fabuloſo ſemiramidis horto; ſed in fragranti Diui Dominici vireto efflorescens, in coronamentum tuum iuremerito cedit. Nimirum non ſterilis, quia exceptus animo, non tàm in verba; quàm in vota & omina excreuit. Æſtimat ſe eſſe Tibi gratiſſimũ (quia Diuiniſſimi Tui ſpeciali titulo,) Tutelaris cuius tu non tantũ nomen, ſed & æmulam pietatem, vt dignus tanti Patris filius habes, eiuſq; nominis auſpicatiſſimum omen geris. Dedeceret pullulantem hunc florem in alieno matureſcere ſolo; niſi in Tuo amœniſſimo Gentilitio Roſeto, quod non tantùm terreſtres; verûm etiam Cæleſtes Incolas; vt ſuaui permulcet odore; ita grato ſemper recreat virore. Neſcit Gentilitia Tua Roſa humi ſerpere, nec depreſſa coronare loca, magnis ſed tantum culminibus debetur, & quò magis excelſo referta virore, eò Cæleſti recreata vigore, deteſtata magis, quàm verita acutam Tarquinij falcem, tàm inter frigidos laborum Aquilones, quàm turbulentos moleſtiarum Notos, obluctantibus fatorum velut Eoli ventis intacta, ſuauiſſimè ſemper vernat. Nec ſanè fertilior vberiorq; ex aureis Heſperidum hortis, aut florido Tuſculani vel Alcinoi Viridario, non humanarum tantùm, ſed Cæleſtium coronarum materies prouenit; quàm à Tuis Gentilitijs Roſis, quæ leguntur tutius quàm carpuntur, ſentiuntur gratius, quàm manibus premuntur, tantumq; eliciunt laudis & amoris, quantum totum in orbem diffundunt benefici odoris, eò magis gratæ, quò plus de Cæleſtibus, nihil planè de terreſtribus ſpirantes. Iactet potens Epirus Dodoneum lucum, ſolâ tantum ſuperſtitionis caligine clarum, ex quo vocales arbores, & ſuauiſſimi flores prodierunt. Longè lateq; hoc præſtat* BRYSZKOWIANA ROSA, *non ſuaui tantùm virtutum odore; ſed candido vitæ probæ colore, puritatem, innocentiam, candorem, non ſimulanter ad ſpeciem exprimente, tantùmq; ab illis differt, quantùm Libana Cedrus ab arundine cernitur diſtaſtare. Fragrat hæc Roſa Tua Gentilitia candidi æmula lilij, fragrantiſſimo Diui Norberti nitore, rubet iucundè natiuâ verecundiâ, tàm inter Ducales Mitras, Epiſcopales Infulas, Senatorum Curules, quàm etiam inter Sacra eruditæ Palladis ſubſelia ſuauiſſimè eminente. Et certè non ſic amœna Tempe, Roſæq; Pæſtanæ gratâ ſuaueolentiâ animis mortalium fuère, quàm Candidiſſimo Præmonſtratenſi Paradiſo, triplex Roſarum Tuarum delicium, ſuauiſſi-*

mos gratiarum odores, amœnos summæ humanitatis nitores sparsit. Agnoscit Te æquissimum consiliorum suorum Nestorem multoties Ecclesia Zwierzynecensis, quam Tu odore sicut odore agri pleni adeò impleuisti; vt tota Rosis Gentilitijs Tuis cincta gemmis gratiosior; sed sponso suo verè conformis efficiatur. Subit enimuerò ingens quædam admiratio mentes sapientum Virorum Cleantheas, cùm prodigium illud eruditi pectoris Tui nec capere ex integro, nec stupere ex merito possit, quod in mentem Tuam curis publicis fatigari nesciam, eam inuidentes sapientiam. & dexteritatem, eam animi elegantiam, ac oris vultusq́; grauitatem, eam tractandorum animorum peritiam, & suauitatem, eam Pastoralem vigilantiam, vt nec Centoculos antiquitati Argos, Nemeosq́; leones Sacrum ouile Tuum inuideat. Quantus verò Diuinæ suadæ Tuæ Rosas & Lilia loquentis valor, vt meritò dicam suis apibus conditus Plato non est sapidior: melle stipata Nestoris facundia non erit maturior, quàm Tuus nectare dilutus sermo, vbi inter prudentia ab ore verba Cecropia examina suo melle suauia videntur euolare. Nec dissimilis Flori suauissimo Diuinissimo Tutelari Tuo integritas puri candoris resplendet, cui nil gratias promeritum nisi virtutibus coruscum, nil iucundum, nisi Sacro apparatu cultum existere videtur. In præconium non vocabo cæteras virtutes tuas, sed infirmitati potius meæ, & angustijs chartæ id concedes, quòd non omnes calamo comprehenderim, cùm tantum cœlo capi posse omnes videantur. Certabunt inuicem de Tuis præclaris virtutibus seræ posteritati tradendis, augusta Apollinis delubra, domusq́; Hygeæ sacratæ, cùm totum in immensum laudum Tuarum encomium effundent Castalum. Quanquam longius me à Rosa Tua gloriæ Tuæ abripit veneratio, cui cùm rudis calamus non sufficiat, satius est pudore suffundi, quàm quæ omnium oculis & animis nota sunt, tenuissimæ viribus eloquentiæ attentare. Pande itaq; Gentilitium Rosetum Tuum PERILLVSTRIS & ADMODVM REVERENDE DOMINE, *vt sacer ex omni florum coronamento Fasciculus beatis honoribus suis securè vernet. Non intra aliud coronamentum recipi floridus Fasciculus elegit; quàm inter purpureum* BRYSZKOVIANVM ROSETVM, *cùm aureus ipsi Hesperidum hortus sit, intra quem quidquid clauditur, ab aureo æuo descendit, victuraq́; gloriæ fontem perpetuum habet. Magnam ego Fasciculi Sacri cum Gentilitijs* ROSIS *Tuis sympathiam cùm suspiciam, quidni eum in sinu Tuo deponere conuenientissimum censeam: idq́; eò libentius; vt quidquid rudis calamus meus possit, id honori Tuo impendam. Perennabis* PERILLVSTRIS & ADMODVM REVERENDE DOMINE *quia Diuinissimo* HYACINTHO *Tutelari Tuo dilectus, abundabis muneribus illius cuius manus tornatiles aureæ plenæ* HYACINTHIS. *Ego insuper non manibus dabo suauè rubentes* HYACINTHOS, *sed votis vota coram Deo Immortali vouere nunquam desinam; vt Te amplitudine, gloriâ, honoribus, in Ecclesia Dei adornatum, Pyleam in ætatem, Candidum faciat vernare* HYACINTHVM.

Perillustris, & Admodum Reuerendæ Dominationis Vestræ,

Cliens Deditissimus,

M. PETRUS SIENKIEWIC,
Philosophiæ Doctor, & Professor, Scholæ Sanctorum Omnium Senior.

EPI-

EPIGRAMMA.

I.

In Sanctum Hyacinthum nascentem.

SVrgant Pierides Viridi de monte Sorores,
Ornenturque comæ, flos HYACINTHE Tuæ.
Cùm cernas aliam redimitam ſidere frontem,
Empyreo niteat ſidere, planta frequens,
Cur ſtellas terræ flores in tempora Diui
Agnati cælo, Flora Polona neget.

II.

In eundem natum in Polonia.

Exultent Lechia ô fælix, ſimul æthera tecum,
Nidum quòd teneas, ſpes venit inde Tibi.
Molem qui portent Patriæ, ſi quæris Atlantes,
Atlas Cæleſtis, naſcitur ecce Tibi.
Splendens Eccleſiæ toti, gentique Polonæ,
Cùm cæli faciem, flos HYACINTHVS habet.

III.

Faſcijs inuoluitur S. Hyacinthus.

Faſcia me retinet tenerum, cum corpore ſtricta,
Membris innocuis, ſtringor & ipſe meis.
Cur ſtringis vittâ Mater ſobolem neo natam?
Faſcibus infantis cingeris ipſa Tui.
Cæleſti puer hic, vinciri poſcit amore,
Vitta Deus nato, vita perennis erit.

IV.

Ab Iuone Epiſcopo Cracouienſi Muſis conſecratur.

Suſcipit in gremium Parnaſſia Muſa puellum,
Principium ſtudij, cruxq; poluſq; tenet.
Proficis Alme puer, Chriſto dictante Magiſtro,
Vt doceas homines, ſemper amare Deum.
Vulnera centeno ſtatuit pro codice Chriſtus,
Vnde Tibi largè docta Minerua fluit.

V.

Sacer Orator quoties ad populum perorat, toties plurimos peccatores ad Deum conuertit.

Diuinæ Cathedræ Præses, velut alter Aquinas,
Dogma pium fundens, quod ſtupor omnis habet.
Aureus Orator, percellens fulmine ſontes,
Cùm Niobes hominum ſaxea corda liquent;
Non ſic Threijcio deductæ carmine ſiluæ,
Quàm duros hominum traxerat ille animos.

VI.

Sanctus Hyacinthus Canonicus Cracouienſis electus.

Intra perauguſtum cupiens vernare vauelum,
Pulchriùs hoc flore, vt terna corona micet.
Atque ſuum inſignem cleri nunc ſurgere florem
Altius, in ſacro dogmate ſuauè iubet.
Cùm Canonum Themidiſque Sacræ, reſponſa locutus,
Aureus ore tripos, conſilijque penu eſt.

VII.

Romam pergit cum Iuone Epiſcopo Cracouienſi, ibique Diuo Dominico iungitur.

Romuleas HYACINTHE Petri vis cernere Sedes,
Roma caput mundi, ſit Tibi dulcis amor.
Cæleſtem dubitas terrenumque inter amorem,
Ecce Tibi præſtò, cor Dominicus adeſt.
Excipit optantem Romæ, dulcedine plenus,
Suauia delicijs oſcula datque Patri.
Iunctus ei ſocius, vitæ morumque Parenti;
Vt non moratis; myſtica verba ſonet.

VIII.

Romæ Sanctus Hyacinthus Diui Dominici habitum Religioſum ſuſcipit.

Dulce ſolum Patriæ eſt, & ab hoc excedere dulce,
Si quis idem decorat, præmia laudis habet.
Deſeris hoc HYACINTHE iterùm, rediturus ad illud,
Mutato cultu, clarior inde redux.

Iam

Iam iam te decorat Dominici candida vestis,
Nempè Sacros humeros, ambiat alba chlamys.
Fulserat hâc, faciem referens HYACINTHVS Olympi,
Quâ ferit excelsos fama relicta polos.

IX.

Mittitur in Poloniam cum alijs Socijs, à Sancto Dominico.

Vtique quod primùm decorauit honoribus Almam,
Romám: cum Socijs deseruisse cupit,
Ipsius eloquio Cathedras, ac pulpita templi,
Impleuit magnum dotibus ingenium.
Intensis votis, hunc poscit Lechia Mater,
Ocyus vt tandem mystica verba ferat.
Quem socij florem, ternâ sepsere coronâ,
Vt fructus ternus, surgeret inde polo.

X.

In Gratiam S. Hyacinthi, Iuo Episcopus Cracouiensis, ædificat Cracouiæ templum Sanctissimæ Trinitatis.

Este procul Troiæ muri, Capitolia Romæ,
Pergama Lycini marmora pulchra procul.
Iam non Deucalion lapides iacit, ast HYACINTHI
Sancta manus, quibus est ædificata domus,
Ergo surge Parens Cracidos Vrbs nescia vinci,
Ecce sacrata domus, robora firma parat.

XI.

Sanctus Hyacinthus traijcit socios in pallio suo per Vistulam sub ciuitate dicta Visogrod.

Nunc mihi nunc Elegi velis maioribus ite,
Nauigat in magno flumine, Diuus homo.
Stare Deum pelagi iubet cessare tridentem,
Namque tridente procul, temperat ille salum.
Proh stupor! en calcant socij pede flumina sicco,
Anchora dextra fuit, pro rate vestis erat.

XII.

B. V. Maria S. Hyacinthum visitat, & alloquitur eum his verbis:
Gaude fili HYACINTHE &c.

Pandite ſerratos clauſtralia Numina poſtes,
Pandite clauſtra Viri; cælicus hoſpes adeſt:
Hinc ſuper æthereo ſtringant Tua viſcera plauſu,
Mater te alloquitur, voce ſonante ſuâ.
Viſitat hoſpes Virgo domum Sacra quando HYACINTHI,
Hoſpitis ille ſuæ, nomina magna ſtupet.
Vtque ſalutauit benedicens ille MARIAM,
Alloquitur natum ſuauiùs, Alma Parens,
Vt Tua grata meo nato eſt, Oratio quæuis,
Ex hac magna Tibi, commoda ferre volo.

XIII.

Confractis manibus pedibuſque, eius ope ſanantur.

Luxatis membris, confractis cruribus, ad te
Sano perueniunt, Diue Patrone pede.
Mentis inops, ratione carens, raptuſque furore,
Sanatur cum fert, flos HYACINTHVS opem.
O Medicina potens? quæ concurrentibus ad Te,
Ipſamet occurris, cunctaque ſana facis.

XIV.

Moritur Sanctus Hyacinthus, ipſo peruigilio Aſſumptionis B. M. Virginis.

Sanguineas armata manus, mors triſtis Amazon,
Mens tamen à Parcis, inuiolata manet.
Suſtulit ah Libitina ferox, Te flos HYACINTHE,
Totus ab hoc fructus, credite flore viret.
Hæc eadem Virgo, cui Sancta patebat opella,
In gremium ſumpſit, Teque fouere cupit,
Sublimi fato, dignatur Virgo Clientem,
Patria Cæleſtis, tradita Diue Tibi,

XV.

XV.

Tumulatus & incorruptus manet S. Hyacinthus.

Dic mihi quô rigidum vergit corruptio telum?
Quôque tuum vergit trux Libitina ſcelus?
En manet excepto intactoque cadauere corpus,
Qualis Phœnicis, ſub ſtrue forma viget.
Talis eras HYACINTHE nouo poſt fata ſuperſtes,
Vultu incorrupto, iam propè morte carens.
Eſte procul taxi, & tumulum tectura cupreſſus,
Te manet æternùm, lauriger inde vigor.

XVI.

Gratum odorem exhalant Lipſana S. Hyacinthi.

Exhalant ſuaues flores cùm Lipſana Diui,
Cur flores? gratus flos HYACINTHVS erat.

XVII.

Epitaphium S. Hyacintho.

Vandale veliuolo circumflue vandale fluctu,
Et circumcingens mænia firma Craci,
Dic vbi viſtulei domitor iacet ille fluenti?
Natus in ignotis num iacet ille locis?
Cùm radias clàro tumuli defoſſus honore,
Quem Tibi conſtruxit, Cracia Sacra Trias.
Sicne iaces HYACINTHE Tuis contermine ripis?
Orte ſimul Patrio floſque repoſte ſolo.

XVIII.

Polonia in ſummis Regni periculis opem S. Hyacinthi implorat.

Quid faceret dubijs concuſſa Polonia rebus,
Exterius feruens interiuſque ſimul.
Auxilijs orbata ſuis, orbata probatis
Conſilijs, ſummam mente precatur opem,
Te vocat inſtanter ſupplex ô flos HYACINTHE,
Teque Patrem Patriæ, poſcit habere ſuum.

Vel Te gentis amor, vel Te Tua Patria tangat,
    Non potes Altricis non meminiſſe Tuæ.
Sæpè Ducem Patriæ recinit gens, Teque Polona
    Fama Corynthiaco ſpirat in ære diu.
Cernis vt aſſultent cunei! ni iuueris actum eſt!
    Tranſilit en foſſam pænè Tyrannus humum!
Trans Tanaim, trans flumen Hebri, captiua trahuntur,
    Corpora, & ingenuæ nobilitatis honos?
Eia celer perturbatos ſolare Polonos,
    Continuò mala ſic quos decumana premunt.
Hæc Tibi defenſi pro mænibus Orbis & Vrbis,
    Iure feret meritò, Ciuica ſerta, Lechus.



